



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 45. Ochinus Tiguro pulsus, ac in Poloniam veniens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

consubstantialitatem impugnarent: e-  
 nimvero si horum factio inter Ecclesie  
 Romanæ hostes ceteris potentia, ac  
 numero non prævaluit, saltem Calvi-  
 nistis, illisque, qui se Evangelicos dicti-  
 tabant, magis terribilis evasit: eapro-  
 pter ut hæc secta aut everteretur, aut  
 saltem coerceretur, hi Sigismundum  
 Augustum Poloniæ Regem supplices  
 adibant, petentes, ut illis cum omni-  
 bus Sanctissimæ Trinitatis hostibus pub-  
 lica in arenam descendendi facultatem  
 concederet: cum ergo Antitrinitarii  
 idem exoptarent, hinc ejusmodi pub-  
 lica disputatio illis Anno Domini mil-  
 lesimo quingentesimo sexagesimo quinto  
 concessa est.

§. XLV.

*Ochinus Tiguro pulsus, ac in Polo-  
 niam veniens.*

Jam antea Bernardinus Ochinus fidei  
 Catholicæ defertor, postquam anno  
 Domini reparatæ Salutis millesimo quin-  
 gentesimo sexagesimo tertio Tigurina  
 Urbe pulsus erat, Schafusium venit, ubi  
 Lotharingum Cardinalem Roma redu-  
 cem invisens ab eo durius excipieba-  
 tur, inde vero Poloniam versus arrepto  
 itinere per Moraviam ibat, quæ tum  
 Provincia commune Anabaptistarum,  
 & novorum Arianorum asylum erat.

*Simler in  
 vita Ochini  
 Sand. Bibl.  
 Antitr. Gra-  
 tian. vit.  
 Card. Com-  
 mend. l. 2.  
 pag. 9.*

Sæcul. XVI. Ibidem cum Lelio Socino, Alciato,  
A.C. 1563. aliisque sæpius conferebat, ac in Po-  
 loniam delatus, cum ibi jam cognitus  
 esset, in quadam spurixæ reformationis  
 Ecclesia prope Cracoviam Minister crea-  
 batur: cum autem quidam Itali Merca-  
 tores Virum visendi curiositate impulsi  
 eundem e suggestu declamantem au-  
 dire desiderarent, ut proprio aurium  
 testimonio intelligere possent, an idem,  
 qui suis sermonibus tantam nominis  
 sui famam per universam Italiam sibi  
 comparaverat, adhucdum pari eloquen-  
 tia insignis esset: ait illum, postquam  
 cum eo versari cœperant, tanquam  
 hominem reapse fanaticum experiebantur;  
 quippe se verum esse Christi Apo-  
 stolum jactitabat, & plures labores,  
 ac ærumnas pro nomine, & Dei gloria,  
 necnon pro dilucidandis fidei mysteriis  
 sustinuisse dicebat, quam ullus Aposto-  
 lorum: affirmabat quoque, quod ipsius  
 doctrinæ, quamvis ei Deus, quemad-  
 modum Apostolis, non concesserit mi-  
 raculorum donum, non minor fides sit  
 habenda, eoquod re ipsa ipsi hoc do-  
 num Deus dederit.

§. XLVI.

*Errores in Polonia ab Ochino  
 sparsi.*

Insu-